



CAzimirus patrem habuit Fridericū Marchio-
nem Brandēburgensem, matrē uerò Sophiā
Polonię reginam. Ab ijs parentibus cum fratribus
Georgio, Ioanne, Friderico, & Alberto Prusiacō,
in omni genere uirtutum optimē educatus fuit. Po-
stea Cazimirus Cæsaris castra secutus, hinc inde
res multas magna fortitudine gessit, & Maximilia-
no Cæsari gratissimus extitit. Cum autem pater Fri-
dericus fato functus esset, ipse cum fratre Georgio
regiones auitas diuisit, atq; summo animorū cōsen-
su quisq; suam partem gubernauit. quin etiam Su-
fannam Alberti ducis Bauarię filiam anno 1518 uxo-
rem duxit, atq; ex ea filium Albertum Marchionē

1522 procreauit, qui postea magna bella per Germaniā gessit. Erant in hoc Ca-
zimiro multę heroicę uirtutes, quibus pacis & belli tempore nulli Germano-
rum principum secundus uidebatur. Itaq; Carolus Imperator eum plurimūm
dilexit, & aliquoties suo nomine cū Ferdinando fratre in Imperij comitijs pre-
sidere suum legatum iussit. id quod maximē 1526 Spiræ comparuit. Sequēti e-
tiam anno, ob rei bellicę peritiā, ab Imperatore suo loco in Vngariā ad Fer-
dinandum fratrem missus, ut Pannonias aduersus Turcicas impressiones & ir-
ruptiones defenderet. Ibi cum res multas feliciter peregisset, atq; Vaiuoda ex-
pulsio, magnam partem Vngarię Ferdinādo comparasset, Budę aliquot pau-
cis diebus ex dysenteria decumbens, 1527 immatura morte obiit, atq; corpus
eius in patriam reductum, in monasterio Heilsbrunn maiorum suorum cōdi-
torio honorificē sepultum fuit.